

coram me, velle vt eius filius qui nihil attinet Ferrarium, est enim Magdale-  
næ priuignus, vt suos aliquando edat. Hæc fuit infœlix vitæ Ludoui-  
ci Ferrarij, ingenio & eruditione in Mathemacis nulli Secundi, sed in hu-  
manis rebus minimè sapientis, & in Deum parum pij: vt qui & illum, &  
Diuos omnes ex consuetudine turpiter execraretur, adeoque violenta ira  
procefferat, vt ego rarò ad illum accederem, nec alloqui auderem. Natus est  
anno salutis M D X X I I. die 2. Februarij ascendente X X I. parte Arietis, &  
Luna erat ei in loco Iouis. Vulneratus fuit X V I I. anno in sinistra manu, vt  
ferme digiti omnes præcisi sint. Vnde in posterum incommodo illo & defor-  
mitate non caruit. Fuit parvæ staturæ, iucundi vultus, blando sermone, pru-  
dens in rebus exigui momenti, comptus, naso paruo, non tamen deformi, roseo  
colore. Verbo, vnde quaque ad decorem formatus. Obiit anno M. DLXV. die  
Octobris.



E I V S D E M  
A N D R E Æ A L C I A T I  
M E D I O L A N E N S I S  
I V R I S C O N S V L T I  
V I T A.



**A**N D R E A S Alciatus Ambrosij Filius, mater ei Margarita  
Landriana ex oppido Alciassio, quod propè Mediolanum est,  
vnicus Patris filius, indole eximia fuit, vt qui à puero grauitatem  
quandam supra fortunæ conditionem retineret; primùm literis  
Latinis Græcisque imbutus, deinde facundia si ad antiqua tempora compar-  
tur, forsan quæ vinci posset: si ad nostra sanè incomparabili: nam & nitidio-  
re stilo & puriore, tum pleniore atque suauiore fuit, item carmine felicissimè  
lustr. Inde Bononiam veniens Iurisprudentiæ studiis incubuit, adeò vt inter  
primos suæ ætatis adhuc adolescens haberetur. Audiuit & Iasonem Maynum  
suæ ætatis Iurisconsultum celeberrimum Papiæ profitentem. Lauream adeptus,  
vbi Mediolanum se contulisset, tanta auctoritate ob eruditionem mi-  
cuit, vt in collegium Iurisconsultorum reciperetur, tametsi aliqua ob stare  
viderentur. Narrabat mihi. Gualtherus Corbeta Senator, ob eminentiam sa-  
pientiæ prudentiæque Iuris potius receptum, quàm legibus ac statutis ipsius  
Collegij. Paulo post vocatus in Galliam Auigniorum, quæ vrbs Pontificia  
est, professus magno stipendio est. Ea verò fuit illius felicitas, vt tum pericia  
legum, tum facundia, tum Græcarum Latinarumque literarum scientia lon-  
gè latèque omnes non solum sui temporis, sed etiam prædecessores supera-  
uerit, illudque de eo Ciceroni animum dici posset, quod de Scæuola prædicabat:  
*Iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium Iuris peritissimus*: neque hoc solum  
verè, sed omnium consensu dici poterat. Antecelluit facundia, scientia  
linguarum, historiæ Cognitione, interpretationis subtilitate omnes, qui in ea  
facultate vixerunt. Quod si volumina eius, quæ extant, id non apertè testa-  
rentur, suspicione addulationis carerè non possem: verùm ipsa res dicto meo  
maior est; quapropter id Horatianum proferam.

*Ornari res ipsa negat, contenta doceri.*

Suum ergo cuique iudicium permittam, tum maximè quod illius libri nunc  
omnium in manibus maxima cum autoritate habeantur: nemo dedignatur  
Alciatum, nemo sine illo Iurisconsultum eruditum haberi se posse putat. Sed  
omittamus hæc, atque de vita sermonem, quem institueramus, prosequamur.

Quum ad eò nomen eius vndique celebraretur ex Italia, Gallia tota, Hispania, Germania, Pannonia, Cimbris, Britannisque discipuli confluebant: itaque frequentissimo auditorio omnibus gentibus notus erat. Reuocatus in patriam stipendio duorum talentorum atque dimidij, quorum summa est mille quingentorum aureorum Philippeorum, senatoria etiam dignitate ornatus est, id stipendium coactus est dare I. Sforzia Secundus, quod tantundem in Gallia recepiisset singulis annis. Ex eo tempore Papiæ professus, postmodum succedentibus bellis Bononiam se contulit; deinde indignatione quadam, Ferrariam se contulit, vbi cessantibus bellis à Cæsare Carolo Quinto per vim reuocatus est in patriam, ea tamen lege, vt sine concursore profiteretur. Audiui à multis fide dignis interim à Pontifice vocatum, vt quauis conditione inter Purpuratos Collegij, quod vocant Cardinalium, ascisceretur: verum nulla conditione aut vllis promissis persuaderi potuit. Hunc virum sine inuidia omnibus, quos cognouerim, plerisque etiam antiquorum doctorum illustribus felicitate prætulim, eruditione incomparabili, librorum multitudine, fama vulgari sui temporis, auctoritate apud omnes Principes Europæ, auditorij frequentia, stipendij magnitudine, opibus insignibus, facundia singulari, ad eò vt quum peroraret, quendam nouum Ciceronem audire se mortales existimarent. Duobus præterea naturæ, atque fortunæ priuilegijs specialibus: altero grauitatis summæ: altero (quod rarissimum est) quod nullum vnquam naufragium in tam perpetuo incremento nominis, ac gloriæ perpeffus sit. Sed nemo tamen prorsus fœlix est; *quod additur latere ex vno, ex altero adimitur*: quippe frequentibus morbis vexabatur, doloribusque podagræ ad eò atrocibus, vt vltimis annis ambulare nequiret, turgidis pedibus: quandoque etiam in manibus tentabatur, vnde illi tœdium vitæ inter tanta ornamenta & animi, & fortunæ sæpe, atque diu fuit: obiit febre quinquaginta septem natus annos. In sermone communis, blandus, facetus, lætusque fuit, humanitate singulari, moribus omnino ingenuis, amicitia cultor præcipuus, clarissimis sui temporis viris, Budæo, Erasmo Roterodamo, Thomæ Moro, Longolio notissimus, à quibus literas accepit, & scripsit. Nihil atrox aut admisit, aut perpeffus est, sed continuo tenore fortunæ blandientis vsus est: domos habuit Mediolani & Papiæ, vxore caruit: hæredes reliquit Andream Baptistam & Franciscum, omnes ex familia Alciatorum. Andream ego filium eius sed spurium existimaui. Præstantissimus fuit horum Franciscus, quem & vnice dilexit, & alijs testamentis omnium hæredem constituerat: sed & fortuna omnino totam hæreditatem ei pollicita, præstitit morte aliorum cohæredum sine filiis. Hic verò & Iurisconsultus inelytus euasit, & profitendi munus eodum profecutus est, donec à Carolo Borromeo Romam vocatus, paucos post annos in collegium, quod Alciatus primus recusauerat, Cardinalium coopatus est. Statura fuit mediocri, amplo pectore, membris, quæ à semine oriuntur magnis, oculis, naso, labiis, auribus, facie ob id quasi bubalina, sed tamen eiusmodi, quam omnes etiam si non cognoscerent, libenter venerarentur: inter loquendum verba cachinno prosequabatur, quod alij indecorum fuisset, in ipso gratiam quandam habebat. Memoria fuit incredibili, ac tenacissima, ingenio acutissimo, iudicio, & suauitate morum adhuc longè melior, sed nulla in re tam excelluit, quàm prudentia.